

ri per hanc paginam, ut stabilis permaneat perpetuis temporibus, primitus inter hec omnia volo et iudico adque dispono et ordino rem iuris proprietatis meae, quod habere visus sum de iure et proprietate patris mei, idest basilica beati Laurentii levite et martiris Christi cum omnia ad se pertinentem mobile vel immobile cum casas sol. terre cum vineas muris vallatas et per circuitum ibidem factum, seu et libros conscriptos, necnon et pallios et reliqua ciminia sanctorum, quod habere videtur vel ibi congregare visus sum. Volo et testificor ut hec omnia ad se pertinentem, sicut dixi et prefatus sum, ut sit in privilegio et vera libertate in patriae Veneciae, et nunquam extra patria, sub defensione Veneciarum persistere debeant perpetuis temporibus, ita ut nulla angaria, nulla scuphia publica persolvant, et nullus sit ex proximis meis vel extraneis, qui in ea habeat potestatem dominandum per quovis ingenium, nisi sola Romana soror mea, ita ut in omnibus diebus vitae suae hordinandum recte et meliorandum in omnibus et non alienandum, sed sacrificium offerendum et laudes Deo decantando et pro delictarum animarum parentorum meorum et mea. Unde pro intentione voluntatis meae, conservato iudicio patris mei, de ipsa basilica relinquo ibi de res mea uncias sex principales ad opus sanctuarii et a culto meliorationis ipsius basilice quamque et ad stipendia, que ibidem Deo recte servierint bone voluntatis hordinandi. Talis ordinacio post habitudinem nostrum secundum Deum ambulet, ut noster labor, Deo auxiliante, in lucrum animarum nostrarum perveniat et in conspectu domini mereamur consequi. Quod si absit, ut non credimus, talis adveniat hordinatio de hanc germana Dei ancilla, que secundum Deum non ambulet, set secundum suam voluntatem vel prava desideria, et non ea a se abicere voluerit de hoc, quod iustior me ordinatus sum, tunc pontifex et qui in illo tempore vel diebus fuerit, qui talem eam inspexerit, predicare ei iuxta statuta sanctorum patrum mansuete et benigne debeat, nam non proterve, et si hoc episcopus exinde negleserit predicari, portetur hoc peccatum a Deo et exinde gravetur in iudicio. Quod si hoc malum, quod